



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Utrum affinitas superveniens dissolvat sponsalia de futuro, & an infideles coniuncti in gradu jure Canonico prohibito , post baptismum debeant separari?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

Quousq; & quo jure affinitas dirimit matrimonium?

Sicuti consanguinitas, ita etiam affinitas, ex copula legitima & conjugali matrimonium dirimit in linea transversali usque ad quartum gradum inclusivè, *e. Non debet s. h. t.* si verò oriatur affinitas ex copula fornicaria, vel illicita, jure novo Tridentini Concilii dirimit matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè, ut dictum. Probabilius autem est, quòd in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, sit jure naturæ irritum matrimonium inter vitricum v. g. & privignam, inter privignum & novercam, &c. & quamvis multam etiam probabilitatem habeat contraria sententia, quæ asserit non tantùm in aliis gradibus prohibitis affinitatis lineæ transversæ solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimi, sed etiam in primo gradu lineæ rectæ, negari tamen non potest conjunctionem talem suam habere contra jus naturale indecentiam, ut quamvis in reliquis gradibus sæpius dispensaverint Romani Pontifices, nunquam tamen in primo gradu lineæ rectæ.

§. III.

Virum affinitas superveniens dissolvat sponsalia de futuro, & an infideles conjuncti in gradu jure Canonico prohibito, post baptismum debeant separari?

AD primam quæstionem certa est responsio affirmativa, quod enim dirimit matrimonium contrahendum, uti-

que etiam sponsalia de futuro tollit, et hæc ad contrahendum matrimonium obligent, prout etiam habetur in *e. Super eo 2. h. t.* uti supra dictum.

Ad secundam verò quæstionem sic clarè respondet Pontifex in *e. De viduis 4. h. t.* quòd contractum ab infidelibus in gradu, jure Canonico prohibito, matrimonium, non debeat solvi, si postmodum ad fidem convertantur, cum enim tales infideles non subsint, dum infideles sunt, prædicti non Ecclesiæ, consequenter nulli obligentur impedimento purè Ecclesiastico, & consequenter validum est illorum in infidelitate contractum matrimonium, quos autem Deus conjungit, homo non sepat, dicit Pontifex in *e. cap.*

§. IV.

Quæ pœna sit contrahentium matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibitis?

IN Clement. Eos qui unicus, & excommunicantur, & denunciari jubentur, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, constitutione Canonica, prohibitis, matrimonium contrahunt: sicuti autem hæc excommunicatio non incurritur, per sponsalia tantùm de futuro, cum tali impedimento, contracta ita non requiritur ad incurrendam hæc excommunicationem, consummatum fuisse matrimonium, sed sufficit ad eam incurrendam, contractum fuisse cum tali impedimento scienter matrimonium, cum huic pœna hæc, non autem sponsalibus de futuro, aut consummato matrimonio imponatur. Dixi tamen scienter